

22.
22

18

T H E S E S
D E
USUCAPIONUM ET
PRÆSCRIPTIONUM

MATERIA,

1664, 2

QVAS,

D E O A D J U V A N T E,

EX DECRETO ET AUTORITATE

Magnifici, Nobilissimi & Amplissimi

JCtorum Ordinis in Antiqua Heidel-
bergensi Academia,

P. R. Æ S I D E

DN. HENRICO DAVIDE
CHUNONE

J.U.D. Professore Facultatis Primario, Acad.
Procancellario, & p. t. Decano.

P R O

LICENTIA DOCTORALI IN UTROQUE
JURE IMPETRANDA,

Solemniter excutiendas Proponit

CONRADUS GRAMM
Moeno-Francofurtensis.

Die 2. Junii.



HEIDELBERGÆ,

Excud. ÆGIDIUS WALTER, Acad. Typogr.

ANNO clō lōc LXIV.

J. M.



T H E S I S

LIBRARIUM ET

UNIVERSITATIS

MAGISTRI

FRANCISCI

EX DICRITO ET

MAGISTRI JOHANNIS

TECUM ORDINE IN

ARTIBUS

PHILOSOPHICIS

ET THEOLOGICIS DAVIDE

CHURCH

PHILOSOPHICIS ET THEOLOGICIS

ARTIBUS

LICENTIA DOCTORALI IN

ARTIBUS

PHILOSOPHICIS

CONRADUS

MAGISTRI

FRANCISCI

TECUM

ORDINE

PHILOSOPHICIS ET THEOLOGICIS

ARTIBUS

Handwritten mark





Q. D. B. V.

A P H O R I S M U S

I.



Um definitio in quacunq; re explicanda , præcipuè attendenda sit , *Dd. in l. 2. §. 2. de R. C. & in l. 1. de Acq. poss.* & omnia quæ à ratione suscipitur aliqua de re institutio , à definitione debeat proficisci , secundum eloquentiæ parentem *Ciceronem in 1. Offic.* ut intelligatur quid sit id de quo disputatur ; exordior à definitione usucapionis seu præscriptionis.

APH. II.

Duplex autem usucapionis existit definitio : nominis & rei. Illa rectius dicitur usucapio quàm ususcapio , quia non usum , sed usu , sive per usum capimus seu acquirimus. *Borcholt. ad pr. 1. de Usucap.* usus enim hîc non commoditatem , sed possessionem significat , *l. 115. ff. de V. S.* Capiò verò nihil aliud est quàm acquisitio *l. 140. eod.* Præscriptio dicta est à præscribendo , id est præfigendo vel præfiniendo , quasi temporis præfinitio : quia
A
legibus



legibus præfinitum est tempus, intra quod repetitio rei à domino fieri debet, sub pœna amissionis domini, ut ex *Balbo refert Schneidvv. ad d. pr. num. 6.* Hæc ita definiti potest: Usucapio seu præscriptio est adjectio domini, per continuationem possessionis temporis lege definiti. Adjeci autem hic: sive præscriptio, differentiam enim hodie nullam agnosco inter usucapionem & præscriptionem. Olim quidem præscriptio ab usucapione differerebat: Rebus videlicet possessis, tempore, & effectu. *Borcholt. ad d. pr. Treutl. vol. 2. Dissp. 22. th. 1. Lit. H.* Quòd verò vulgus Dd. etiam hodie usucapionem ad res mobiles, præscriptionem ad res immobiles referat, expressè confutatur per *l. 17. l. 18. 23. 37. §. 1. 38. 39. h. t. Juncta l. unic. C. de Usucap. transform. & pr. l. h. t. Arum. Exerc. 6. ad I. Th. 3. Ludvv. Dissp. 6. Th. 1.* Nec admitti potest quod *Vult. ad pr. l. num. 10.* asserit, Usucapionem rerum corporalium tantùm, præscriptionem verò esse tam corporaliùm quàm incorporaliùm: expresse enim refellitur per *l. 4. §. fin. h. t. l. fin. C. de Præsc. long. temp. & l. unic. C. de Usucap. transf. vid. Bachov. ad Treutl. Vol. 1. Dissput. 17. Th. 8. Lit. E.*

APH. III.

Sed hoc lubentius largior, esse ambiguitatem in vocabulo præscriptionis. Aut enim generaliter sumitur pro qualibet exceptione, ut in *l. per. & ult. C. de Except. l. ii. in fin. ff. eod. l. 29. in pr. ff. de Except. rei Jud. l. 91. ff. de Solut.* Aut specialius pro except. ex possessione temporis lege definiti, ut in *Rubr. ff. de Divers. temp. præsc.* Aut denique secundùm subjectam materiam pro acquisitione per longam possessionem, ut in *Rubrica l. de Usucap. & præsc.* & quò ad hanc nulla, uti dixi, super est differentia

rentia, sed sub ea tanquam species comprehenditur.

APH. IV.

In definitione generis loco posui, ADJECTIO domini, ita Modestinus eam definit *in l. 3. h. t.* à quo recedit *Cujac. ad d. l. 3.* qui pro adjectione legendum contendit adeptionem, cum Ulp. *in Fragm. tit. 19. §. 7.* Alii malunt acquisitionem, quod non displicet *Vult. lib. 1. l. R. c. 7. num. 2.* Verùm cum in effectu parum intersit, quamnam lectionem sequamur, non est quòd diutius in hisce immoremur. Est enim usucapio adjectio domini, quia dominium possessioni à lege adiicitur *Wesemb. in π. ff. h. t. num. 4.* Est & adeptio, quod qui possidet, adjectum adipiscatur dominium. Et tandem acquisitio, quia usucapio est modus acquirendi dominium, §. *fin. l. de Us. & hab. Ludvv. d. Diss. Lit. E.* Differentiæ loco mentio fit in definitione continuatæ possessionis, & temporis lege definiti. Verùm verba hæc temporis lege definiti Triboniani non Modestini esse putat *Cujac. ad d. l. 3.* negari tamen vix potest, quin & *Modestini* seculo lege definitum tempus fuerit. *Arum. Exerc. 6. Th. 2. in fin. Ludvv. ad §. l. h. t.*

APH. V.

Usucapio *Leg. 12. tabb.* inducta est in *pr. l. h.* quæ postea variis PP. Constitutionibus emendata. *tot. tit. C. de Long. temp. presc.* quæ bono publico introduxit usucapiones, ne sc. rerum dominia semper sint in incerto, *l. 1. h. t.* ac hac ratione perpetuæ metuantur de possessione lites. *l. ult. pr. Pro suo l. 4. C. de Div. præd. lib. II. tit. 69.* Nec hoc ab æquitate naturali recedit licet enim usucapio, nudè & in se considerata, videatur

tur iniqua, cum eam non defendat prædicta naturalis æquitas, vid. l. 206. de R. I. Attamen si civilem rationem inspicias, usucapionem naturali æquitate non destitui reperies, vid. Cujac. C. de Usuc. pro empt. Etsi enim Justum fit, ut citra factum proprium v. g. Titius, ædes, hortum ve non amittat l. 11. de R. I. Justius tamen est ut respublica sit salva; æquius ut hæc floreat, quàm ut Titius ædes, hortumve à Mævio per 20. annos possessum recipiat. Sicut autem inter duo mala, quod minus malum, ita inter duo Justa quod Justius sequendum. Unde eleganter Triphoninus in l. 31. §. 1. ff. Depos. & Africanus in l. 61. §. 5. de Furt. Justitia suum quidem cuique tribuit, ita tamen ut non distrahatur ab ullius personæ Justiore repetitione. Aut ergò utilitas publica, vel salus populi semota est ab æquitate naturali, aut usucapio in se habet naturalem æquitatem, sed salus populi non est semota ab æquitate naturali: nemo enim tam absurdus, ut aliter dicat. E. usucapio in se habet naturalem æquitatem. Dn. Schutz. Exerc. ad Inst. Disp. 7. Th. 3.

APH. VI.

Usucapiunt omnes, qui possidere atque dominium acquirere possunt l. 25. h. Hinc servus usucapere nequit, l. 4. §. 4. l. 44. §. fin. h. l. 118. de R. I. Filiusfam. verò quò ad castrensia & quasi l. 4. §. 1. h. ut & adventitia potest l. 6. C. de Bon. qua lib. Usucapit etiam pupillus, licèt sine tutoris autoritate possidere cœperit l. 4. §. 2. h. t. nam sine tutore possessionem nancisci potest. l. 32. §. 2. de Acq. poss. quia facti potius est quàm juris, l. 1. §. 3. ff. eod. Accedit quòd meliorem suam conditionem facere possit, etiam absque tutore autore l. 9. ff. de Auth. tut. Infans verò non aliter, nisi tutoris autoritas accesserit,

ferit, sine qua infantes possidere & usucapere non possunt, l. 1. §. 3. & l. 32. §. 2. ff. h. t. Denique furiosus id, quod ante furorem possidere cœpit, usucapit, l. 4. §. 3. h. t. aliàs ne quidem curatore autore, l. 1. §. 3. de Acq. poss.

APH. VII.

Ut autem usucapio Justè & cum effectu procedat, requiritur ex parte objecti, seu ipsius rei usucapiendæ, ut nempe sit talis res, quæ usucapi possit. Regulariter omnes res possunt usucapi, quæ non expressè reperiuntur prohibitæ; sive corporales sive incorporales, adeoque etiam Jura & servitutes (quæ tamen olim non præscribebantur l. 4. §. 27. l. 10. §. 1. de Usucap. l. 32. §. 1. de S. V. P. l. 43. §. 1. de A. R. D.) cùm enim Justinianus præscriptionis & usucapionis eundem effectum esse voluit l. unic. C. de Usucap. transf. etiam res incorporales, ut corporales præscribi voluit l. fin. in fin. C. de Præsc. long. temp.

APH. VIII.

Possideri ac usucapi res nequeunt NATURA SUA: vel FAVORE DOMINI. Naturâ tales sunt res, quæ non sunt in commercio: veluti res Sacræ, Sanctæ, Religiosæ, liber homo, §. 1. l. h. t. l. 9. ff. eod. l. pen. de Mort. infer. Item sunt res publicæ, quæ & ipsæ commercio privatorum exemptæ sunt §. 6. l. de R. D. l. 45. h. t.

APH. IX.

Eodem modo prohibentur præscribi res meræ facultatis, quæ nullo ne quidem immemoriali tempore præscribuntur, l. 2. ff. de Via publ. Tales res seu actus sunt, ire,



ambulare, piscari, ædificare &c. Hinc etsi per mille millia anno rumin ariola mea, quæ Juxta tuum palatium fuit, non ædificaverim, non tamen possum prohiberi, *l. 9. de Serv. V. P. l. 8. C. de Serv. Et aq. Gloss. in l. II. ff. de S. V. P.* Quam regulam tamen hæctenus limitant *Dd.* nisi is qui meram facultatem habet, prohibitioni alterius acquieverit. *Crav. de Antiq. temp. p. 4. §. ult. Bronch. cent. 4. ass. 3. Treutl. vol. 2. Disp. 22. Th. 3. Lit. I.*

APH. X.

Mirè autem *Dd.* abutuntur illâ regulâ, dum juri- bus, quæ ex obligationibus nascuntur, applicantur. Sed ea ratione nulli actioni præscriberetur: cùm semper sit in mea facultate movere actionem, sed illud meræ facultatis esse dicitur, quod citra ullam obligationem aut conventio- nem cujusque libero arbitrio, Jure omnium communi per- mittitur, quale est facultas eundi per viam publicam &c. de quibus *in Aphor. præc.* Hinc factum est, quod ab illis pro vero supponitur, nempe Jus luendi pignoris esse meræ facultatis, eo significatu, quo rerum meræ facultatis ne- gatur esse præscriptio. Descendit enim illud jus ex ob- ligatione, quam debitor in Judicium deducere potest; alioqui omnis actio & persecutio res meræ facultatis dicenda esset. Idem affirmo de altera quæstione. An pacto de retrovendendo, ut quandocunque redimere liceat, 30. ann. præscribi possit. *vid. Goeh. part. 3. Peric. 3. quest. 16.*

APH. XI.

Sequitur altera causa inhabilitatis ex parte rei, quam diximus esse **FAVOREM DOMINI**. Itaque solus **FAVOR DOMINI** efficit, ut præscribi nequeant res pupillorum, *l. 48. de A. R. D. l. 3. de Præsc. 30. ann. l. 10.*

Quemad.

Quemad. serv. am. Nec distinguo cum Cujacio , 24. *Obs. 14.* inter res mobiles & immobiliæ , ut hæc quidem , non illæ usucapi prohibeantur. Nec illam distinctionem inchoandæ & inchoatæ usucapionis , ut inchoari non possit contra pupillum , contra ipsius patrem tamen inchoata continuari , quam *Donell. 5. Comment. 23. ibique Hillig. Lit. C. Duaren. ad Tit. C. Si advers. Usucap.* probant , admitto ob *l. 3. C. de Præsc. 30. vel 40. ann. Wesemb. ad h. t. num. 14.*

APH. XII.

Aliter tamen sentiendum de rebus minorum. Differunt enim ratione præscriptionis in duobus à pupillis, 1. quod contra pupillum nulla ne, longissimi quidem temporis præscriptio currat, *d. l. 3. C. de Præsc. 30. ann.* contra minorem verò hæc locum habet, *l. fin. In quib. caus. test.* quæ incipit currere ex quo potestatis suæ esse incipiunt, *l. 1. in fin. C. de Ann. except.* tempore tamen pubertatis impleto, *l. fin. C. In quib. caus. test.* 2. quod pupillo ne cæpta quidem præscriptio currat, contra minorem verò ea quæ contra majorem cæpta fuit, omninò continuatur, *l. unic. C. Si adv. usuc. ibique Gloss.*

APH. XIII.

Huc etiam pertinet fundus dotalis, nisi præscriptio, antequam dotalis fieret, inchoata fuerit. *l. 16. ff. de Fund. dot.* Item res fisci *l. 24. de Usuc. & præsc.* cum sint res propriæ & privatæ Principis, *§. 4. l. h. t. l. 2. C. Comm. de Usucap. vid. Cujac. ad l. 18. ff. h. t.* Quod tamen non obtinet in bonis vacantibus fisco, nondum nuntiatis, ideò si res aliqua bona fide accipienti tradita fuerit, usuca-

usucapi potest §. 4. *l. h. t. l. 18. ff. eod.* quod etiam observatur si res filci esse desierit, *l. 24. §. 1. h. t.*

APH. XIV.

Odio possessorum usucapi prohibentur res furtivæ, & vi possessæ; Illæ quidem *L. 12. tabb. & l. Attinia;* Hæ verò *l. Julia & Plautia. §. 2. h. t. l. 33. §. 2. h. t. l. 12. C. de Furt.* ut hac ratione furta & violentæ in vasiones rerum alienarum coerceantur, *arg. §. 14 l. de Act.* neque enim ex maleficio suo quisquam commodum sentire debet. Nec etiam bona fides hîc quicquam operatur, sed sufficit si vitium reale sit contractum, puta: furtum & violenta invasio, quæ rem ita afficiunt & comitantur, ut, nisi redeat ad pristinam causam & dominum, vitiumque sic purgetur, usucapi non possit, §. 3. *Inst. h.* quod hactenus verum est, si ab initio res dicebatur furtiva, sed si usu capione inchoata, res demum apud usucipientem effecta fuerit furtiva, non interruptitur usucapio, *Gloss. in l. unic. C. de Usucap. transf. Cappoll. ad rit. de usucap. pro empr. num. 9.* Spatio tamen 30. ann. res furtivæ & vi possessæ præscribuntur, quod probat *l. 1. §. 1. C. de Annal. except.*

APH. XV.

Quod dixi res furtivas usucapi non posse, obtinet & in eo, quod ex iis perceptum & conceptum est, *l. 4. §. 15. h. t.* Res tamen distinctione expedienda est: Aut enim ancilla prægnans surrepta fuit, aut partus conceptus est apud furem, aut apud b. f. possessorem. Primo casu partus est furtivus, cum fur omnes ejus partes surripere videatur, atque ita partum, qui viscerum matris est portio, *l. 1. §. 1. ff. de Vent. insp.* Secundo casu vitiosus quoque erit partus, si conceptus apud furem, natus verò apud bonæ fidei possessorem, propter vitium quod partui accessit



accessit per contrectationem matris, l. 48. §. 5. ff. de Furt.
 Tertio casu, si partus apud b. f. possessorem conceptus &
 natus, non potest dici furtivus, ut qui non fuit portio
 matris dum surripereur, atque ita rescribit *Alexand. Imp.*
 ejus. usucapionem procedere in l. 3. C. pro Empt. Gædd. ad l.
 26. ff. de V. S. Cujac. ad l. 4. §. 15. de Usucap. Pac. in C. h. t.

APH. XVI.

Illud etiam observari puto in foetu pecudis furtivæ,
 scilicet: quod bonæ fid. possessori nec acquiri, vel ab alio usu-
 capi possit, nisi apud eum conceptus & natus sit, per l. 48.
 §. 5. ff. de Furt. l. 10. §. 2. l. 4. §. 5. ff. de Usucap. vid. *Bachov. ad*
Trentl. vol. 2. Disp. 22. th. 3. lit. A. & B. Schutz. Disp. 7. ad l.
th. 10. Cæterum ejusmodi fructus & partus ancillarum,
 nec non porcorum foetus heres usucapere potest pro suo, non
 titulo pro herede, l. 2. in fin. ff. Pro suo, si modò defuncti
 non fuerint, & in hereditate defuncti non fuerint reperti,
 l. 4. §. 5. ff. h. t. Cujac. ad d. l. 4. §. 5. rrio.

APH. XVII.

Porro usucapi nequeunt res vi possessæ §. 3. l. h. t.
 l. 4. §. 22. ff. eod. Quarum usucapio *L. Plavia & Julia* pro-
 hibita l. 33. §. 2. ff. h. t. Vi autem possessæ hîc dicuntur, quæ
 per vim occupatæ sunt, & de quibus quis possessorem de-
 jecit, l. 1. §. 28. de Vi & vi arm. nec sufficit vi dejectum
 aliquem esse, sed requiritur, ut novus etiam possessor
 per vim possessionem intraverit, l. 33. §. 2. h. t. *Bachov. ad*
Trentl. vol. 2. Disp. 22. th. 3. lit. C. Ludov. ad §. 2. h. t. Vitio
 autem purgato non minus ac res furtivæ legitimè usucapi-
 untur §. 3. l. h. t. Purgatur autem, si revertatur saltem in po-
 testatem expulsi, *Gloss. in l. 6. §. 3. ff. de Prec.* nisi forte res
 mobilis per vim fuerit ablata, l. fin. ff. V. B. R. nec refert
 an, res mobilis surripiatur per furtum, an per vim, quia

B

utroque



utroque casu requiritur, ut redeat in potestatem ipsius domini, per d. l. fin.

APH. XVIII.

Denique prohibentur usucapi res quas testator in testamento alienari prohibuit l. 2. C. de Usucap. pro empt. ut tamen expressè vel tacitè constet de mente & affectione testatoris, ut heres non alienaret, quod declarat exemplis Capoll. ad tit. de Usucap. pro empt. n. 21. Illud autem quod dixi non posse usucapi vel præscribi, intelligendum de præscriptione longi, non verò longissimi temporis, l. 3. C. de Præsc. 30. ann. cum in hac nullus titulus desideretur. Hæc de materia seu objecto usucapionis.

APH. XIX.

Ad perficiendam autem usucapionem opus est possessione, quæ est basis & fundamentum usucapionis (imò possessio nonnunquam pro usucapione sumitur l. 19. ff. de Acq. poss. l. 26. ff. eod. vid. Sush. diff. 6. aph. 21.) sine qua nulla usucapio procedit l. 25. ff. h. t. Hinc regula: Tantum intelligitur Usucapum, quantum reperitur possessum, Ves. in π. h. t. n. 11. Requiritur autem hæc civilis possessio, cum enim usucapio sit modus acquirendi domini, dominium autem non acquiratur sine voluntate & animo acquirentis l. 55. de O. & A. necessum est, talem hic intelligi possessionem, qua animo & voluntate domini res tenetur, pr. & §. 1. I. h. t.

APH. XX.

Non proderit verò possessio, nisi sine vitio sit, quare opus est bona fide & iusto titulo §. 5. I. h. t. Bona fides est rei alienæ & injustæ possessionis ignorantia, ut quis rem à non domino, quem dominum esse credebat, acceperit pr. b. Hinc consequitur, eum qui dubitat, utrum

res

res sua sit necne, bonam fidem non habere, cum non habeat scientiam Iustæ possessionis. *Vngepaur. Exerc. 7. q. 2.*

APH. XXI.

Sufficit autem bonam fidem intervenisse ab initio possessionis, *l. 48. §. 1. de A. R. D.* præterquam quòd in cæteris quidem contractibus tempus traditionis, in emptione verò & contractus & traditionis tempus inspicitur *l. 48. ff. h. t. l. 2. pr. pro Empt.* Nec ob supervenientem, malam fidem interrumpitur, *l. unic. C. de Usucap. transf. §. 7. l. h. t.* in tantum ut bona fides defuncti etiam heredi prosit, licet ipse in mala fide sit *d. §. 7.*

APH. XXII.

Titulus præterea seu Iusta possidendi causa requiritur in omni usucapione *pr. l. h.* sive sit onerosus, sive lucrativus, verus an putativus: Nam & putativum titulum ad usucapionem prodesse existimamus, si modo Iustissima errandi & putandi causa subsit *l. 27. l. 29. 33 §. 1. h. t.* error enim falsæ causæ nullam parit usucapionem; *§. 6. l. h. l. 11. ff. pro Empt.* In præscriptione autem servitutum titulus non requiritur, si adsit domini scientia & patientia, *l. 10. ff. Si serv. vind. l. 2. C. de serv. & aq.* scientia enim & patientia tituli loco habetur, *d. l. 10.* Neque tamen negligenda est distinctio comm. Schol. Aut enim servitus præscribitur ex Iusta causa, quando v. c. titulum habet à non domino, quem tamen putabat esse dominum, & quia tunc possessionis initium est à non domino prædii, ideò etiam titulus hic necessarius est. Et ita accipienda est *l. ult. C. de Præsc. longi temp.* Aut possidemus servitute domino sciente, neque tamen vi neque clam, neque precario, & tum non requiritur titulus. Si enim titulus adesset, puta si dominus prædii servitute mihi constituisset &

B 2.

tradidisset

tradidisset ex causa venditionis, donationis, &c. Servitus statim citra præscriptionem pleno Jure acquireretur, *l. 31. pe A. R. D.*

APH. XXIII.

Titulus autem est vel GENERALIS vel SPECIALIS. GENERALIS vocatur Pro suo: Qui titulus itidem est vel Generalis vel Specialis. Generalis dicitur ex quacunque causa, ex qua dominium acquiri potest, veluti ex empto legato, &c. *l. 1. ff. h. t. vid. VVes. h. t.* Et hic cum nihil aliud sit, quàm aliarum causarum seu titulorum accessio, *l. 1. pr. h. solus ad usucapionem non sufficit, l. 27. ff. h. t. Dn. Hahn. ad h. t. Pro suo. Bach ad Treutl. vol. 2. Disp. 22. Th. 5 Lit. G.* Specialis est, cum alius titulus cessat, iusta tamen possessionis causa subest: veluti si quis cervum alterius mansuetum, putans nullius esse, in Sylva capiat & usucapiat, *Glossa ad l. 1. ff. h. t. Bach. ad Treutl. 2. Disp. 21. Th. 2. lit. F. Dn. Hahn. & Struv. ad tit. Pro suo.*

APH. XXIV.

SPECIALIS iterum est vel UNIVERSALIS, ut Pro herede & bonorum possessore. Pro herede autem usucapit is, qui revera heres est, aut ex Justa causa se heredem esse existimaverit, *l. pen. ff. h. t.* hinc qui saltem putat se heredem esse, non usucapiet, *l. 3. C. h. t.* Requiritur insuper rem in hereditate inventam, & sine vitio à defuncto possessam esse; aliàs si defunctus malâ fide rem possedit, etiamsi ille bonam fidem habeat, tamen usucapere non potest, *l. 3. C. Comm. de usucap.* propter repræsentationem enim vitium defuncti transfunditur in heredem, *l. 11. C. de Acq. poss.* Nec solùm extraneus rem alienam, inventam in hereditate, tanquam hereditariam bonâ fide possidere & usucapere potest; Sed etiam suus, per textus generales

nerales *l. pen. & ult. ff. h. t.* absurdum enim est suo dene-
gare id, quod extraneo concessum est. Nec movet ratio
l. 11. ff. de Lib. & posth. quod enim ibi dicitur suos quodam-
modo dominos esse rerum paternarum, verum est de do-
minio improprie sic dicto κατ' ἐπιδα, *Dn. Hahn. ad*
t. de Inoff. test. n. 6. ad tit. Si tabb. test. null. n. 5. ad t. de
A. R. D. n. 4. accedit, quod vivo patre non possideant,
sed eo mortuo demum possessionem consequantur *l. 23.*
ff. de Acq. poss. Pro possessore possidet, qui bona fide res
Prætorie bonorum possessionis usucapit pro possessore, quem-
admodum heres res hereditarias pro herede, *VVes. n. 6.*
h. vel qui ex iusta causa se bonorum possessorem putat,
Dn. Struv. h. t. Th. 33.

APH. XXV.

Vel SINGULARIS. ut I. PRO EMPTO. pro
emptore usucapit, qui revera à non domino purè emit, *l.*
2. pr. §. 2. h. t. nam qui sub conditione emit, ea pendente
usucapere non potest, quoniam non est perfecta emptio,
l. 4. de in diem addict. Cujac. ad l. 2. h. t. necesse est autem ut
hîc concurrat bona fides, *l. 3. h. t.* usucapere enim pro empto-
re nemo potest, nisi qui possessionē bona fide est adeptus, quam-
vis possidere pro emptore etiam quis mala fide possit, *l. 2. §. 1. h.*
t. vid. Cujac. ad d. l. Perez. in C. h. t. Pro emptore etiam pos-
sidet atque usucapit, qui litis æstimationem obtulit, *l. 1. ff.*
h. t. quod etiam in Permutatione *l. 2. ff. de Rer. permut.*
& transactione obtinet, *vid. l. 8. C. de Usucap. proempt. de*
qua in Aphor. 30.

APH. XXVI.

PRO DONATO Pro donato quis usucapit, cùm
donationis causa res à non domino tradita, *l. 1. ff. h. t.* ut ta-
men donans ignoret rem esse alienam, alioquin furtum
committit

commitit , res in causam furtivam incidit , redditurque inhabilis. Præterea requiritur , ne res donata sit contra juris prohibitionem , de qua in *l. 1. §. 1. & 3. ff. h. t.* limitatur tamen in quibusdam casibus *vid. Capoll. h. t. n. 24.*

A P H. XXVII.

PRO LEGATO. Eodem modo pro legato usucapit is, cui res aliena legata & tradita est, *l. 1. 4. 5. h. t.* Nam rei alienæ legatum valet, non tantum Jure civili, sed etiam Jure canonico: non obstante *c. 5. de Testam.* Nec necesse est eum decessisse qui legavit, modo res legati nomine legatario tradita sit, isque eum, à quo tradita est, mortuum esse putet *l. 5. & 6. ff. h. t.* Si verò res legata quidem, sed non tradita, legatarius hætenus usucapere potest, si possessionem sine vitio ingrediatur, *h. e.* vel sciente & patiente herede, vel Prætoris autoritate *l. 8. ff. h. t. ibique Cujac. & Gothof.* Atque in hoc differt isqui pro legato possidet ab eo qui pro herede: Nam pro legato ex viventis bonis usucapi potest, cum legata vivo testatore præstari possint *l. 9. de Legat. 2. l. 11. C. de Legat.* Pro herede autem ex vivi bonis nihil usucapi potest, etiamsi existimet eum esse defunctum *l. 1. ff. pro Hered.*

A P H. XXVIII.

PRO DOTE. Titulus non minus, & quidem Justissimus est, qui appellatur pro dote, ut cui aliena res bona fide in dotem datur, à tempore traditionis incipiat usucapere: ante quidem matrimonium pro suo, post contractum verò matrimonium pro dote *l. 1. §. 2. h. t.* si verò ante matrimonium res æstimatæ traditæ sint, nec pro dote, quia nullæ nuptiæ, nec pro suo usucapi possunt *l. 2. ff. h. t. æstimatio enim facit emptionem l. 10. §. 5. ff. de Jur. dot.* Cùm verò pro emptore nemo possit usucapere, antequam conditio

ditio existat ; Ita etiam pro dote usucapere non licebit , priusquam matrimonium sit subsecutum *l. 10. §. 4. his. VVesenb. ad h. t. n. 2. Perez. in C. h. t.* Quod si ante matrimonium sponso res inæstimatæ datæ fuerint, non pro dote, sed pro suo usucapere potest : nisi aliud actum fuerit, puta ut non ante eius fiant, quàm secutis nuptiis. Ceterùm si nuptiæ non sequantur nulla est usucapio. *l. 1. §. 3. & ult. b. t.* Cùm semper insit in dotis datione tacita conditio, si nuptiæ sequantur, *d. l. 10. §. 4. ff. de iur. dot.*

APH. XXIX.

Non solum autem res singulæ, sed etiam universæ, *l. 1. §. 1. ff. de iur. dot.* adeoque etiam communes pro dote usucapi possunt, *l. ult. ff. h. t.* Sive mobiles sive immobiles sint, *l. unic. C. h. t.* frustra dissentiente *Cujac.* eò quod mobilis tantùm fiat mentio. Satis enim constat, quòd & immobiles in dotem dari possint, *tot. tit. de Fund. dot. vid. Perez. ad d. l. unic.*

APH. XXX.

PRO DERELICTO. Ex causa derelicti etiam recte usucapitur. Nam donare videtur qui rem pro derelicta habet *l. 36. ff. de Stip. serv.* ideoque continuò fit occupantis *l. 5. §. 1. b. t.* Is autem pro derelicto rem habet, qui ea mente abiicit, ut in numero rerum suarum eam amplius esse nolit, *§. pen. l. de R. D.* Ut autem usucapi locum habere possit, requiritur ut res pro derelicto sit habita, 1. à non domino (nam si res pro derelicto sit habita ab eo qui eius rei dominus est, statim occupanti cedit *l. 1. b. t.* sive sciat à quo pro derelicto sit habita sive ignoret *l. 4. ff. h. t.* 2 ut res verè per derelicto sit habita : nec enim sufficit opinio eius qui occupavit *l. 6. & 7. b. t.* nisi ex Justissimo errore proveniat, *VVes. in r. ff. h. t. n. 8.*

APH. XXXI.

PRO TRANSACTO. Est quoque Justa causa possidendi transactio, ita ut per possessionem ex hac causa res usucapiatur, *l. 8. C. Pro empt. vel transact.* Interpretes sententiam *d. l. 8.* restringunt ad rem transactionis causa traditam, & non obtinere in ea re, quam quis ante transactionem possidebat, & vi transactionis retinet; moti hoc argumento, quod qui aliquo accepto patitur rem manere penes adversarium, controversiam tantum ei remittit, non verò ut dominum ipsum faciat, *l. 9. 28. 33. C. de Transact.* Distingui potest inter rem, de qua transigitur; Et rem qua transigitur. Illa non habetur ex causa transactionis, de qua loquuntur *ll. citatæ*: hæc autem habetur ex causa transactionis, sive data sit, sive retenta: quia utroque casu dominium acquiritur, si is erat dominus, qui transactionis causa rem dedit vel retineri passus est. *Hæc Pac. in Analys. C. h. i. Perez. ad h. c.*

Denique PRO SOLUTO. Titulus hic generalior est aliis, concurrere enim potest cum quolibet alio titulo, *l. 3. ff. Pro suo.* Ut autem usucapio hoc titulo procedat, requiritur ut solutum sit ex causa alicujus contractus nominati vel innominati, *Gloss. in l. 1. pr. ff. h. r. veri vel putativi, l. 1. & 3. ff. eod.* Item ut Justus error interveniat, vel Justissimus in contractu venditionis, *d. l. 3. pro suo* ut in hoc contractu tempore contractus & traditionis interveniat bona fides, in aliis verò tempore solutionis, *l. 10. pr. l. 15. §. ult. l. 44. §. 2. l. 48. de usucap. l. 2. inf. pr. pro Empt l. 7. §. ult. de publ. in rē act.* ut etiã soluta fuerit res aliena: nam tradendo propriam, statim dominium transfertur, nec opus est præscriptione, *l. 4. §. 19. ff. h. r.* Denique ut sit habile objectum præscriptionis, & ut possessio interveniat, & quidem continuata per legitimum tempus.

(17):20
APH. XXXIII.

Licet autem possessio sit Justa , id est munita bona fide & titulo , non tamen usucapionem parit , nisi insuper sit continua seu non interrupta. Quare cum hactenus egerimus de possessione, nec non bona fide & titulo , tum generali tum speciali; Recte atque ordine incipit jam tractatio de continuatione possessionis.

APH. XXXIV.

Continuatur autem possessio non solum in eadem persona , sed etiam in diversis , antecessoribus & successoribus. Hi autem sunt vel singulares , vel universales. Illis mala fides autorum non nocet , nisi velint horum accessione & possessione uti *l. 2. §. 17. Pro empt.* His autem prodest & nocet qualitas possessionis defuncti. Itaque si quis rem immobilem emptam , donatam &c. bona fide possederit , 10. ann. inter praesentes & 20. inter absentes , usucapit , non obstante auctoris vitio. Quemadmodum enim emptori vel alii successori singulari bona fides antecessoris non prodest , si ipse in mala fide sit , ita nec mala fides ejusdem nocet , si ipse in bona fide sit. Heres autem cum sustineat personam defuncti , ac in ipsius jus succedat , praedecessoris sui mala fides ipsi nocet : è contra bona fides defuncti , quamvis malae fidei possessor sit , tamen prodest , quod tam in vitia quam in virtutes defuncti succedat , & eadem persona existimetur , *Cujac. ad l. 14. ff. h. t.*

APH. XXXV.

Ut autem aliquantò plenius continuationis articulus pertractetur , quaedam speciatim , quomodo ea praecipuis in successore singulari contingere possit , subiiciantur. Eodem modo conjunguntur etiam tempora inter venditorem

C

torem

torem & emptorem, si uterque bona fide rem acceperit, venditoris enim vitiosa possessio, b. f. emptori non prodest, sed neque etiam nocet, si videlicet res medio tempore ab alio non fuerit possessa *l. 13. §. 4. de Acq. poss. l. 6. in fin. ff. Pro empt.* in hoc enim similes sunt emptores successoribus, *d. l. 13. §. 4. eod.*

A P H. XXXVI.

Quod tamen fallit si à furioso quis emerit, nulla enim accessione uti potest, *l. 2. §. 16. Pro empt.* sed si tutor vel curator pupilli vendiderit, accedit tamen possessio pupilli, *l. 14. §. 1. ff. de Acq. poss. l. 15. §. 4. ff. de divers. temp. præsc.* nam venditio valet, & ab ipso pupillo facta videtur. Re quoque redhibita venditor emptoris, & emptor venditoris accessione uti potest, *l. 13. §. 2. de Acq. poss.* Ut ergò possessio venditoris emptori, ita quoque possessio emptoris venditori accedit, si fortè venditori res redhibita sit, vel emptio resoluta, re emptori sub aliqua conditione addicta, *l. 19. ff. h. t. l. 6. §. 1. de Div. temp. præsc.*

A P H. XXXVII.

Succedit jam usucapionis interruptio. Sciendum autem est, quædam usucapionem ac præscriptionem interrumpere: quædam impedire tantum, ita ut cursus ejusdem ad aliquod tempus sistatur, sublato autem isto impedimento, continuatur, & tempus ejus cum sequente conjungitur *Wes. in π. num. 15. h. t.* Et hoc modo dicitur dormire usucapionem. Sic non currit tempus (1) ob bellum & pestem, modò facultas agendi planè adempta sit, ut ob ejusmodi tempora jus non reddatur, *Wes. in π. h. num. 14.* Quod etiam exprimit specialis constitutio *Lucij 3. cap. 10. de præscript. relata & in Recess. Imp. de Anno 1654. repetita verb.* So viel nun die
Capitalia

Capitalia anbelanget / sollen erst dieselbige einem jedem Creditori unverfehrt und ohn einige Abkürzung richtig verbleiben / und hierwider keine praescription oder verjährungen wegen der bey wehrendem Krieg unterlassener forderungen der Zinsen oder Capital / angezogen werden noch gelten. (2) ob aetatem pupillarem & minorem. (3) ob absentiam, potentiam, furorem aut insaniam adversarii: ubi tamen opus interruptione seu remedio illo, quod traditur in l. 2. C. de ann. except. Dn. Struv. ad h. r. Th. 26.

APH. XXXVIII.

Interrumpitur autem uscapio, quando non est continua & quieta possessio, ideo cœpta non potest compleri: Dicitur J Cro usurpatio: quæ describitur usucapionis interruptio l. 2. h. t. Est autem duplex naturalis & civilis. Naturalis est, quando possessio ipsa amittitur l. 15. ff. de acq. poss. Contingit id variis modis 1. per inundationem, l. 3. §. 17. ff. d. t. modò diuturna sit, & quæ speciem agri vel fundi immutet, nam brevis non nocet, l. 23. ff. Quib. mod. Ususf. amit. 2. per immissionem Judicalem alterius l. 3. §. 2. ff. de Acq. poss. 3. per mortui illationem l. 30. §. 1. d. t. 4. per violentam dejectionem vel interversionem l. 5. ff. h. t. 5. per specificationem, l. 30. §. 4. ff. d. t. 6. per desertionem possessionis spontaneam, l. 3. §. 6. ff. d. t. 7. incorporalium rerum possessio interrumpitur per dispatientiam, puta; protestationem, pignorationem, prohibitionem, l. 4. §. 27. ff. de usucap. 8. per captivitatem possessoris, præterquam si per servum aut filium peculii causa possideat l. 15. ff. h. t. 9. si quis per quem possidebas, rem tuam in alium transtulerit, l. 33. §. 4. ff. eod.

APH. XXXIX.

Civilis interruptio est, quæ fit per litis contestationem, *l. 10. C. de Adq. possess. l. 10. C. de longi tempor. præscript. l. 26. C. de R. V. l. 2. C. de Ann. except.* (olim quidem litis contestatio usucapionem non interrompebat: sed opus erat naturali aliquo facto *l. pen. ff. Pro empt. vid. latè Wesemb. π. h. t. num. 15.*) Quod de litis contestatione asserui de citatione quoque affirmo, *vid. l. 3. in pr. C. de Præsc. 30. Ann. Bach. ad Treutl. vol. 2. Disp. 22. Th. 1. Lit. H. item effectum interrumpendi & Th. ult. in fin. Lit. F. K. & L.*

APH. XL.

Interruptio autem eum habet effectum, ut præscriptio interrupta de novo debeat inchoari, *per l. 32. §. 1. de S. V. P.* ut etiam bona fide quis nactus sit possessionem, cæteroquin usucapioni locus non est *l. 15. §. pen. h. t.* quod etiam obtinet in interruptione civili, non quidem statim post factam contestationem, sed postquam partes cessaverint litigare, *arg. l. 15. C. de præsc. long. temp.*

APH. XLI.

Quod autem hætenus dixi, ad usucapionem requiri ut res sit præscriptibilis, nec non ut bona fide, Justoque titulo munita sit possessio, insuper tamen adhuc requiritur certum ac à lege determinatum tempus. Quare cum de illis supra egerim, restat ut ultimo loco etiam de hoc requisito necessaria moneam. Tempus autem in Jure varie definitur, prout videlicet res sunt præscriptibiles vel impræscriptibiles (nam & hæc tempore immemoriali dicuntur præscriptæ, de qua immemoriadi præscriptione *V. Mynsing. 1. Obs. 30. Garl. 1. Obs. 21. num. 15. Hartm. t. 46. Obs. 2. & t. 52. Obs. 4. num. 11. Schneidevvin. Inst. de usucap. n. 35.*

Et seqq. Carpzov. IP. F. p. I. constitut. 16. def. ult. Bachov. ad Tr. 2. 22. Th. 4. M.) mobiles vel immobiles : vel etiam ubi actiones reales vel personales dicuntur , perpetuæ vel temporales. Illud autem non omittendum , quod tempus hoc non computetur de momento ad momentum , sed de die ad diem , adeò ut postremus dies coeptus habeatur pro completo , & sufficiat eius diei momento possedisse , ut usucapio impleta dicatur , l. 6. & 7. h. t.

A P H. XLII.

ANNO itaque præscribitur actioni injuriæ verbalis l. 5. C. de Injur. annus autem hic non intelligitur continuus , ut vult Gloss. in d. l. 5. Wes. in π. de Injur. & fam. lib. num. 13. sed utilis , per l. 14. §. 2. Quod met. caus. quæ frustra ad specialem casum injuriæ per metum illatæ restringitur ; Facit , quod regulariter Prætores in edictis suis utile tempus non continuum attendere soleant §. 1. Inst. de Perp. & temp. Act. quæ sententia in Camera servatur , Gail. 2. Obs. 105. num. 4. Myns. cent. 5. Obs. 7. vid. Dn. Hahn. ad tit. ff. de Injur. & fam. lib. num. 13. quod etiam ad injuriam scripto illatam extenditur Fachin. 2. contr. 9. Hahn. d. loc. perpetua enim non est ut Dd. volunt , vid. l. 15. §. 27. ff. de Injur. l. 5. C. de Injur. ubi expressè injuria scripto illata verbali annumeratur. Ratio autem cur injuria verbalis & scripto illata sint annales , actio verò ex libello famoso descendens perpetua , petenda est à causa suâ efficiente , ita ut si Prætoris , annalis vid. d. l. 15. §. 27. si civilis , perpetua vid. l. unic. C. de famos. lib. Aliud obtinet in actione ad palinodiam , id est , ad recantationem seu ad reclamationem , quæ actio non crimina-



lis ut *Maranta* contendit : sed civilis adeoque perpetua
Gail. 1. Obs. 65. Myns. 2. Obs. 98. app. vid. latè Dn. Hahn. ad h.t.
 opponit Mar. 1. quod infamet & nego illam infamare,
 petitur enim condictione ex moribus, condictiones au-
 tem non infamant, *vid. l. 36. ff. de O. & A.* Deinde nego
 consequentiam, nam & v. c. actio depositi, si ob dolum
 commissum intentetur, infamat, *l. 1. ff. de his qui not. inf.* quæ
 tamen non est criminalis. 2. quod procurator non admittatur.
 & illud propterea fieri, ut ea persona revocet, quæ injuriam
 commisit. Deinde in injuriis nullus admittitur procurator, si-
 ve civiliter instituatur actio sive criminaliter, excepta persona
 illustri *l. ult. C. de Injur.* 3. negatur consequentia : nam &
 v. c. in actibus legitimis & aliis quam plurimis non admittitur
 procurator, *l. 77. de R. I.* neque tamen sequitur actus illos esse
 criminales. Acris adhuc inter Dd. est concertatio, an actio
 quoque injuriæ realis ex L. Cornelia anno præscribatur, an
 verò 30. demū ann. ? mihi posterius, quod verius, probatur: quia
 actiones quæ ex lege descendunt sive civiles, perpetuæ sunt,
pr. Inst. d. perpet. & temp. Act. quam sententiam quandoque in
 Camera observatam fuisse testatur *Myns. cent. 5. Obs. 7.*

APH. XLIII.

Anno itidem finitur actio quanti minoris sive æsti-
 matoria, excepto uno casu, de quo *Cujac. in cap. 18. de Div.*
temp. præsc. & term. Huc pertinent omnes actiones ædilitiæ
 & honorariæ, *d. pr. Inst. de perp. & temp. act.* nimirum si pœna-
 les fuerint : nam rei persecutoriæ, licet ex delicto descendant,
 perpetuæ sunt, *d. pr.* nisi contra jus civile introductæ fuerint :
 veluti actio rescissoria, quæ non perpetua, sed annua est, quia
 contra jus civile introducta videtur, *l. 35. ff. de O. & A.* Exce-
 ptiones à pœnalibus vide apud *Cujac. d. loc.* Anno etiam præ-
 scribitur petitio renovationis investituræ feudalis, quæ anno
 & die

& die præscribitur *c. prima autem. pr. 2. feud. 24.* Revocatio feudi antiqui, quæ itidem anno & die jure feudali præscribitur *c. Titius filios. in fin. si de feud. def. content. 2. feud. 26.*

A P H. XLIV.

BIENNIO præscribitur 1. actio de dolo. 2. Exceptio non numeratæ pecuniæ. 3. est *ex l. 22. C. ad SCt. Vell.* videlicet si mulier, quæ pro alio intercessit, post biennium denudò ejusdem rei nomine se obligaverit, non Juvatur. SCt. Vell. 4. *ex l. 2. C. de Spons.* ut si sponsus præsens in eadem provincia intra biennium non exequatur nuptias, possit puella impunè alii nubere. 5. est *ex l. ult. §. 2. C. de Jur. dot.* ut promissor dotis post biennium præstet redditus, pensiones & usuras trientes, quæ alias non debentur, nisi in stipulationem deductæ sint, nec redditus nisi post litem contestatam. 6. est *ex l. ult. C. de Jur. dom. impet.* ubi creditor, etiamsi nihil de alienando pignore convenit, nihilominus potest distrahere. Observatis tamen denuntiationibus & dilationibus quæ in *d. l.* requiruntur. *vid. plur. apud Cujac. ad d. t. c. 21.*

A P H. XLV.

TRIENNIO hodie usucapiuntur res mobiles, §. 1. *l. h. t.* quod tamen non procedit, si tota hereditas consistat in mobilibus: nam cum in Juris intellectu dicatur hereditas consistere, hætenus immobilium Jure censetur, *pr. Inst. de Reb. corp. & incorp. l. 4. C. in Quib. caus. long. temp.* Hoc temporis spatium excidit etiam Jure emphyteuseos emphyteuta, si triennio canonem solvere cessavit, *l. 2. C. de Jur. emphyt.* plura affert *Cujac. d. t. c. 22.*

A P H. XLVI.

Præscriptio QUADRIENNII competit fisco, si rem alienam alienaverit vel alii oppigneraverit, si rei vendicatione

tione, ve; actione hypothecaria à creditore pignoratitio con-
 veniatur, *l. 2. C. de Quad. presc.* Adversus fiscum, si post
 quadriennium vindicet bona quasi vacantia, *l. 1. C. eod.* Currit
 autem tempus à die quo bona vacare cœperunt *l. 10. ff. de div.
 temp. presc.* Hæc præscriptio etiam locum habet contra eum,
 qui post quadriennium restitutionem in integrum petit, *l. fin.
 C. de temp. in integ. rest.*

APH. XLVII.

QUINQUENNIO præscribitur (1) querela in-
 officiosi testamenti *l. 8. §. fin. de Inoff. test. l. 34. in fin. C. eod.* (2)
 accusatio adulterii *l. 11. §. 4. l. 29. §. 5. 6. 7. l. 31. ad L. Jul. de adult. l. 1.
 §. 10. ad Sct. Turpilian.* (3) ne de statu defunctorum post quin-
 quennium quærat, *l. 1. & tot. tit. Ne de stat. def. post quinq.*
 (4) est ex *l. 1. §. 13. de separat.* ne creditores ultra quinquen-
 nium post aditionem hereditatis separationem impetrent,
vid. Cujac. de div. temp. c. 24.

APH. XLVIII.

DECENNIO usucapiuntur res mobiles inter præ-
 sentes, 20. Annis inter absentes *§. 1. I. h. t. l. pen. & ult. C. de presc.
 long. temp.* Præsentes æstimantur, qui domicilium habent in
 eadem provincia sive territorio, licet res usucapienda alibi
 sita sit, *l. ult. C. d. t.* Amittuntur quoq; servitutes eodem decennio
 non utendo inter præsentes, 20. annis inter absentes, *l. pen. C.
 de serv. & aq.* De consuetudine dubitatur, quot anni & a-
 ctus ad eam introducendam requirantur? *Myns. 6. Obs. 41.*
 decennium sufficere putat. *Wes. de ll. n. 9.* 30. annos requirit,
 prior opinio probatur, quod leges requirant longum tempus,
 quale in dubio decennium significat. Verum illud non est
 perpetuum, quia & 40. annos significat *l. 57. §. 1. ff. de R. N.
 l. 2. C. de presc. 30. ann.* nonnunquam etiam 30. ann. spatium
 indigitatur *l. 10. C. de Fund. patrim.* interdum viginti, *l. 1. §.
 fin. l. 2. pr. l. fin. de Aq. & pluuv.* Posterior verò confirmatur

ex

ex eo, quod consuetudo sit jus incorporale. Jura autem incorporea 30. demum annis præscribi solent. Verior videtur eorum opinio qui totum id arbitrio judicis committunt. *Suth. Diss. 1 aph 92.* Eodem tempore præscribitur exceptio non numeratæ dotis, ex *Nov. 100.* nam post decennium soluto matrimonio non opponitur. *vid. plura apud Cujac. d. 1. c. 6.*

APH. XLIX.

VICEENNIO præscribuntur (1) accusationes criminales, *l. 12. C. ad L. Corn. de Fals.* (vide tamen exceptiones in *Th. 42. & 43.*) Tollitur autem hoc tempore non accusatio tantum, sed etiam judicis inquisitio: nam sicut accusatio, ita officium judicis quod succedit accusationi tollitur, *Treutl. vol. 2. Diss. 22. Th. 4. Lit. I. ibique Bachov.* (2) accusatio fractæ pacis publicæ, modò ea exceptio opponatur; quia tempus non tollit crimen, *vid. Myns. 4. Obs. 35. Gail. 1. Obs. 20. nu 30. & 35.* (3) omnes res incorporales & jura, ad instar rerum incorporalium 10 ann. inter præsentis & 20. inter absentes *l. fin. in fin.* accedente verò titulo & bona fide.

APH. L.

Tricennio præscribuntur [1] actiones personales (& reales, quæ 10. vel 20. ann non præscribuntur *vid. l. 3. C. de præsc. 30. vel 40. ann.* exceptis actionibus in rem hypothecariis & aliis paucissimis, ut sunt actiones Ecclesiæ competentes *Nov. 116. c. 2. Nov. 131. c. 6*) [2] mixtæ veluti Judicium *fam. herisc. comm. divid. fin. regund.* Excipiuntur quæ breviori tempore terminantur: ut sunt actio personalis de usufructu vide *l. pen. pr. C. de usufr.* actio redhibitoria quæ sex mensium spatium: æstimatoria uno anno *l. 19. § ult. ff. de æd. edict.* actio de dolo, Injuriarum & similes, de quibus *Cujac. c. 17. 20. 21. & 25.* [3] res feudales. Brevitatis causa *vid. Cujac. d. 1. c. 30.*

APH. LI.

Quadragesima annorum spatium præscribuntur (1) bona Ecclesiastica, sive alius alleget usucapionem contra Ecclesiam, sive hæc contra aliam Ecclesiam, *c. ad aures 6. de præscript. Nov. 111. c. 1. & 131. c. 6.* (2) prædialia piorum locorum, qualia sunt Xenodochia, nosocomia, Orphanotrophia, & ejusmodi loca piis usibus destinata *d. Nov. 131. c. 6.* (3) res fiscales, h. e. fisco jam acquisitæ *l. 3. l. 4. C. de bon. vac. l. fin. C. de fund. patrim.* (4) res patrimoniales Principis sive dominicæ, *rubr. & tot. tit. C. Ne rei dominic. d. l. fin.* h. e. ad privatum Pr. patrimonium spectantes, quæ differunt à rebus fiscalibus, ut pote quæ non tam in Principis quàm in Principatus patrimonio *l. 39. §. fin. de leg. 1.* (5) immunitas non solvendi vectigal *arg. l. 4. C. de præsc. 30. vel 40. ann.* quod etiam extendi potest ad immunitatem non solvendi collectas. Ut tamen hæc tria concurrant. i. ut præscribens intra 40. ann. non solverit collectas subditis generaliter in-

D

dictas



dictas. 2. ut tempus 40. ann. post aliquam exactionem collectarum sub-
ditis indictarum effluxerit 3. præscribens ad solvendas collectas specia-
liter sit requisitus, isque expressè recufaverit. *Boi. tract. de Collect. c. 11. n. 61.* Quod si hæc deficient, non nisi præscriptione immemoriali obtine-
bit. *Boe d. loc. salic. in l. 6. C. de præsc. 30. vel 40. ann.* Quamvis autem præ-
scriptio hæc immunitatem præstet à collectis ordinariis, ad extraordina-
rias tamen obligatus manet quales sunt collectæ Turcicæ, uti ex Impe-
rii recessibus apparet. *Wormat. de ann. 1495. tit. Von gemeinen Pfenn-
ningen Aug. de ann. 1500. tit. Von soldner. Spirens. de anno 1554. §. Und
nemlich sollen alle. Decretis comitorum de ann. 1576 §. Und demnach
dieselbe. de ann. 1562. §. Und nach dem sollen die Unterthanen. (6)* Hoc
temporis spatio præscribitur actio, quæ 30. ann. perire solet, interim
contestata & postea omiſſa: nam ex contestatione in 40. annos exten-
ditur, *l. ult. l. de præsc. 30. vel 40. ann. vid. Cuiac. d. t. c. 31.*

APH. LII.

Præscriptione centenariâ gaudet Ecclesia Romana, secundum
Communem Dd. sententiam: Sed cum Justinianus, *in Nov. 111. &
Nov. 136. c. 1.* (per illas enim correxit, *l. fin. C. de SS. Eccles.*) Ecclesiam Ro-
manâ non exceperit, sed generaliter constituerit, ut ecclesiæ tantum qua-
draginta annorum spatio gaudeant, magis est ut illorum sententia falsa
sit. Non obst. *authent. quas actiones C. de SS. Eccles. R.* hanc exceptionem
irriterium adjecisse, cum neque in Nov. 111. neque in Nov. 131, extet. *vid.
Cuiac. 5. obs. 5.*


APH. LIII.


Effectus usucapionis est, quod dominium possessori adiciat, *l. 20.
C. de pact. & quidem dominium verum ac plenum. Duar. ad ti. de usuc. &
Vsur. c. 5. Bach. ad Treutl. vol. 2. Disp. 22. Th. 7. lit. B. Arum. Exercit. ad l. Th.
11. aded ut is non solum contra agentes excipere verum contra quem
libet etiam possessorem rei vindicatione experiri possit *Vvesemb. π.
b. t.* Perimit quoque obligationem tam naturalem quam civilem, *vid.
Bach. ad Treutl. vol. 2. Disp. 29. Th. ult. lit. B.* Tollitur enim naturalis obliga-
tio regulariter per alienationem vel traditionem: Usucapionem verò
alienationem esse, & speciem traditionis præbere probatur, *d. l. 20. C. de
pact.* Parit quoque exceptionem litis finitæ, *l. 3. & 4. C. de præsc. 30. ann.*
atque sic impedit litis ingressum & contestationem *Vves. in π. 3. n. 14.**

APH. LIV.

Contraria usucapionis sunt (1) ætas pupillaris *l. 48. ff. de A. R. D.*
(2) interruptio possessionis *de qua in aph. 38.* (3) mala fides (4)
injustus titulus (5) in integrum restitutio *l. unic. si adv. usucap.* Ex capite
verò ignorantie non datur restitutio contra usucapionem impletam
l. ult. C. de præsc. long. temp. l. 3. C. de præsc. 30. ann.

F I N I S.





ULB Halle 3
003 619 079





f

Sb.

VD 77







22

18

T H E S E S
D E
USUCAPIONUM ET
PRÆSCRIPTIONUM

P. 64

1664, 2

MATERIA,
QVAS,
D E O A D J U V A N T E,
EX DECRETO ET AUTORITATE
Magnifici, Nobilissimi & Amplissimi
Jctorum Ordinis in Antiqua Heidel-
bergenfi Academia,

P R Æ S I D E
DN. HENRICO DAVIDE
CHUNONE
J.U.D. Professore Facultatis Primario, Acad.
Procancellario, & p. t. Decano.

P R O
LICENTIA DOCTORALI IN UTROQUE
JURE IMPETRANDA,
Solemniter excutiendas Proponit

CONRADUS GRAMM
Moeno-Francofurtensis.

Die 2. Junii.



HEIDELBERGÆ,
Excud. ÆGIDIUS WALTER, Acad. Typogr.
ANNO clō lōc LXIV.

J. M.

